



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1664.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

fari nupsit, Successorem habuit in principatu Sigismundum.

ANNVS 1664.

Mense Februario dirempta controversia inter Alexandrum Pontificem, & Ludovicum Francorum Regem : Caput patitorum, ut Pontifex Corsis à Sedis Apostolicæ militia perpetuo abdicatis, pacis integræ memoriam in marmore Romæ extare procuraret ; Rex vicissim Avenionem, & comitatum Vindascinum nuper Ecclesiæ ablatum eidem restitueret.

A Turcis expugnatur Zrinvarium ; à Cæsarianis in Hungaria superiori sub Souchio Nitria, Leventium & alia nonnulla loca, in inferiore captæ Quinqueecclesiæ, exustus item pons ingens Esseckensis, Canisa tamen frustrà tentatur.

Primo die Augusti secuta victoria insignis Cæsarianorum Duce Montecuculio de Turcis ad S. Gothardum, occisis cruenta strage Barbarorum sexdecim milibus, dum Arhabonem fluvium aut trahicere, aut fluminis transitum sociis sternere satagunt; Victoria adscripta potissimum cataphractis Cæsarianis. Nec nihil legérunt auxiliares Galli submissi à Rege Christianissimo sub

Duci-

Ducibus Foliadeo, & Colineo; victoriæ fructus, sed forte præfestinus, fuit pax post dies decem à pugna inter Cæfarem & Ottomannos confecta, quæ sequenti anno legationibus & honorariis utrinque confirmata; Vivarinum relictum Turcis; Imperatori permisum in vicinia ad Vagum Fluvium aliud exstruere Fortalitium, cui postea à Leopoldo datum nomen.

A Lusitanis capitur Alcantara Urbs Hispaniæ. Ab iisdem cæsi Hispani ad castrum Roderici; facta paulò post amorum suspensio inter Lusitanum & Hispanum. Ab hoc petitum, ut deficiente linea masculina Domus Brigantinæ Lusitania devolveretur ad coronam Hispaniæ.

Erfordia reducitur vi armata à Joanne Philippo Moguntino Electore ad primæ obedientiæ Sacramentum, cui se subducere jam à multis annis cæperat.

Obiit hoc anno famosus ille Nicolaus Zerinius enectus, ut dictum, inter venandū morsu fatali apri.

Polonia foris victrix Moschorum labrare incipit intestinis dissidiis ex nimio Reginæ Mariæ Nivernensis commercio cum Gallis.

Episcopus Monasteriensis graviter colliditur cum Hollandis ob ademptum Eyderum castrum Emdensi in Frisia Comiti, eosdem inter &c Anglos jaciuntar seminabelli in mari per mutuas navium prædationes.

Die 15 Decembris cæptus videri in cælo ingens Cometes, cauda oblonga coloris plumbei, occasum & septentrionem versus protensa, tardus in principio & fine, velox in medio.

ANNUS 1665.

Romæ Divis adscriptus ab Alexandro VII. Franciscus Salesius, Gebennensis Episcopus.

In Gallia jussi à Rege Episcopi & Ecclesiastici universi subscribere intra tres menses Bullæ Alexandri VII. contra Jansenistas, Hugonottæ verò vel esse Catholici vel esse ab officiis & artibus exclusi : Censura Sorbonæ adversus librum de infallibili Pontificis authoritate à Clero Gallico fortiter repressa, scriptum quoddam, in quo Robertus Sedis Apostolicæ Nuntius sibi afferebat Pontificis delegati titulum apud Regem & regni ordines publicè apparitoris manibus laceratum. Arma Batavis sub Comite Prædelliō